




29


1. 2.



E. 6. 115. 0.







RAPSO=

DIA INEBRIE-
TATEM.

Authore Vincentio Obsopæo.

A 3150

Οἶνον μὲν πίνειν πύλον κακόν, ἦρ
δε τις αὐτοῦ
πίνῃ ἐπισαμένωσ' οὐ κακὸς ἀλλ'
ἀγαθός.

RA 150

DI 150

150

150

150

150

VINCENTIVS OBSOPOEVS
GEORGIO LEVCIO SAL.



L**ib**rietatem meam, cuius edendæ tu mihi author extitisti, consarcinatis centonibus ad te misi, Georgi charis. atq; utinam ita illam ad te misissem, ut nuncq; ad me regrederetur postliminio. Iam quia tu eius partus, seu abortus potius, in lucem producēdi quandam quasi obstetricem egisti, super est, ut editum iam foetum tuo patrocinio defendas. Vides q; foedum vitium sit ebrietas, quæ nedum senes multos suo inuasit corragio, sed omnes pene adolescentes alioqui felicissime natos hac nostra ætate ab optimarum artium uirtutumq; cultu abductos corrumpit & absorbet planissime, adeo ut postea ἕτε τῷ ἐαυτῷ πόλει, ἕτε τῶσ φίλων, ἕτε αὐτοσ ἄξιοι οὐδεὲς υἱὸσ γένοιντο. Hanc si non satis acriter & instantanter uituperamus, fortasse ueteris consuetudinis amor in caussa fuit, qua cum illa hactenus familiariter consueuimus. Utinam uero alius quispiam me longe ingenio & eruditione præstantior ueram ebrietatis faciē suis coloribus adumbratam iuuentuti uidendam exhiberet, ut eius turpitudinē semel recte conspectam perpetuo fugeret & exhorresceret. Nescio tamen, an uiuatior ebrietatis imago uerbis queat exprimi, quam re ipsa quotidie adumbramus, dum in huius aut illius gratiam immodica helluatione ita nosmet ipsos prosternimus,

a ij ut

ut præter figuram humani nihil in nobis ma-
neat reliquum. Caue uero, putes eam propter
rea ad te missam esse, ut ab hoc deterrimo uitio
te deterream, cum tua mihi sobrietas nota sit,
sed ut illam loco promissi Epithalamij legas
& suscipias. Nec mea adhortatione tibi opus
esse uideo, cum prope esse uideam, ut alieno mo-
re tibi uiuendum sit. Cæterum hoc libello si uel
unum temperatiorem fecero, iam chartarum
iactura pensata est: sin non, uolo ut illi inter ἐπι-
μήσοις illos libellos locum des, quorum quotidie
magna nobis offunditur copia. Neque enim ual-
de me mouebit, si de me quoque dicatur illud
Horatij, Scribimus indocti doctique poemata
passim. Bene uale.

VINCENTII OBSOPOEI RAPSO
DIA IN EBRIETATEM.

DEbita uinosæ scripturo carmina turbæ
Ipse mihi uires dulcis Apollo feras.
Sobrius ut possim temulentos dicere mores,
Et damnosa malum quale sit Ebrietas.
Ebrietas cui sacra ferunt iuuenesq; senesq;
Vesane pulsa sobrietate deæ.
Da ueniam Lenæe pater si carpsero forsas
Ore Sacerdotes liberiore tuos.
Quod tua cordati non unq̄ sacra frequentant,
Semper & amissa quod ratione bibunt.
Siue hæc è nitidis tibi nata est filia Bacchis,
Seu tibi germano sanguine iuncta soror,
Parce tuum uatem sceleris damnare Lyæe,
Pocula qui toties te duce plena bibi.
Non ego sum Pentheus, non sum Mineia proles
Quorum contempsit numen uterq; tuum.
Ille quod afflicto coepta orgia rupit Acœte,
Quod negat hæc summi te genus esse Iouis.
Sed nec ego dicor temerarius ille Lyæurgus
Cuius te contra uis inimica stetit.
Nyse quando tuas in uertice seuus alumnas
Terruit, & trepidum te regit alma Thetis.
Non tua proteruis uiolauit numina, sed nec
Horrida nunc statui bella mouere tibi.

4 3

Tecum

Tecum nulla mihi lis est nec pugna Lyæe,
 Perditur aduersus qui capit arma deos.
 Illud Aloidæ gemini sensere, potentem
 Aggressi supera pellere sede Iouem.
 Hoc genus antiquum sensit Titania pubes,
 Quam nunc deiectam fulmine Pluto premit.
 Quorsum ego Tyrrenos memorem te uendice nauas,
 In mare delphinos profiluissc uagum?
 Sed tua lurcones perdentes munera Musa
 Quod potero infames Bacche notabo mea.
 Atq; aliquis dicet frustra narratur asello,
 Fabula? Quid surdis carmina stulte canis?
 Ipse licet cytharam cemitus pulset Apollo
 Et canat Aonius carmina culta chorus.
 Hos tamen illa magis monstrosa libido mouebit
 Quam præstant plenis bacchea dona cadis.
 Ebria raucifonas subsannat turba camœnas,
 Ridet uersiculos ebria turba rudes.
 Ducitur ebrietas nunc uirtus maxima, nemo
 Damnantem hanc siccò rebitur ore loqui.
 Quæritur hac celebris nunc cunctis gloria, cunctis
 Quæritur hac nomen, gratia, fama, decus.
 Nemo putat uitium cui pars obnoxia maior,
 Est hominum, uitio sobria uita datur.
 Nemo bonus nunc est, nec strenuus esse uidetur,
 Plurima ni poterit perdere uina bibens.
 Nullus eris si sunt ignauæ ad pocula uires,
 Plurima ni sices pocula nullus eris.

Est in

Est in contemptu frugalis uita, libido
Potandi cunctos prodigiosa tenet.
Tu solus studium populare refellere tentas?
Et solus frugi nunc miser esse cupis?
Næ tu nequicquam multa raucedine uentres
A semel incepto flectere more paras.
Non aliud uitium in magnis presentius aulis
Cernitur, Ebrietas aulica uita mera est.
Dicas Bibberios passim regnare Merones,
Inuictosq; duces nunc quoq; una domant.
Quin etiam hoc uitio nunc ordo laborat equestris,
Quisq; cupit multo nobilis esse mero.
Qui quondam intrepidus mauorti pectore et armis
Edidit Hectoreæ fortia facta manus.
Mollia foeminei sequitur nunc castra Lyæi,
Et sequitur spreto pocula Marte piger
Pro clypeo ciathos, tractat pro cuspide thyrsos
Pro galea sertis implicat ille comas.
Qui Curios simulant & Bacchanalia uiuunt.
Hos tibi carpendos non temere esse reor.
Sobria frugalis quos uitæ lumina uulgus,
Ieiunos monachos sacrificosq; putat.
Qui præter sanctam nil laudant Sobrietatem
Quorum lingua sitim pocula mensa probat.
Tradita perpetuæ sybarissat turba saginæ
Ore famem, pleno fercula uentre ferunt.
Deniq; non aliud, si uitam expendis ad unguem
Religiosorum quæritat ille chorus,

a 9

Scorta,

Scorta, uoluptates, instructæ pocula mensæ,
Delitiæ, luxus, sabbata, lautitiæ,
Otia, taxilli, turpissima lustra, popinæ,
Libertas scelerum, uita labore uacans.
Verticibus rasis, sectis, uarijsq; cucullis
Implerunt omnes prorsus in orbe plagas.
Cordatos etiam tenet hæc uesania ciues,
Ebrietas omni regnat in urbe potens.
Sacra olim seruos uinosos luce Lacones
Spectandos natis exhibuere suis,
Quo detestari puerilis disceret ætas.
Hoc uitij, & frugi posse referre uiros.
Nunc ipsi patres seruorum exempla sequuntur,
Suntq; suis natis ebrietate duces.
Non aliud querit præter genialia uulgus
Gaudia, uinosum pocula uulgus amat.
Ebrietas toto breuiter non cessat in orbe,
Sunt passim bibulis omnia plena uiris.
Inunc & molles sub acerbis carmine uentres
A semel incepto flectere more para.
Res grauis ad mollem est (fateor) non mollia uentrem.
Verba loqui, auriculis quandoquidem ipse caret.
Propterea hunc modicæ ratio & laus tangit honesti
Non pretium famæ, non probitatis honos.
Sunt tamen harum etiam facienda pericula rerum,
Sunt etiam bibulis pauca canenda uiris.
Mollibus articulis scio molles tangere uentres
Et molli teneras unguis fricare cutes.

Mollibus

Mollibus aurialis molles reor esse canendos
Versiculos, duris dura canenda puto.
Ne tamen explodam propere discedere iussus,
Primum importunæ uox cohibenda lyrae est.
Donec iam duræ impatientia pectora Musæ
Illapsus blandis uicero carminibus.
Robore tum demum toto pugnare licet
Læti ubi conuiuæ liberiora ferunt.
Symposij nostris extrema in parte Camænis
Spero dabit saltem symposiarcha locum.
Sæpe uocant turpes ima ad subsellia scurras,
Sæpe etiam nullis umbra uocata uenit.
Non aliter bibulae læta ad conuiuia turbæ
Emendicato carmine Musæ ueni.
Verum age ne multis præfando ambagibus erres
Concilians bibulo tædia longa choro.
Vinosas lacris onera Centonibus aures,
Percine ridicula classica læta tuba.
Viuite lurcones, comedones uiuite uentres,
Thyrfigeri Musæ nobile uiue genus.
Et bibite è fuluo spumantia uina metallo.
Ex animo curas pellite quasq; mero.
Ista quidem uere dicenda est uita, ubi nemo
Ringitur, & tristi turbidus ore sedet.
Ut uos submotis alacres hic undiq; curis
Cerno exporrecta uiuere fronte iuri.
Nemo uelit frugi inter uos aut sobrius esse,
Aut bibat aut abeat lex iubet ista uetus.

Et Gorgoniam in
libro hunc in
seruare.

A S

Non

Non bene ieiunos inter uinosus oberrat,
Nec bene uinosos sobrius inter agit.
A uestra liceat nisi potis surgere mensa,
A ciathis siccis missio nulla detur.
Eripienda feris etenim est sua gloria Parthis,
Obibuli madidæ uiuite Saxonie.
Cernitis ô socij ut tacitis absumimur annis,
Iam multis ueniet tarda senecta malis.
Qui uiridi letus uiguit paulo ante iuuenta,
Iam nunc in tumulto nigra cinescit humus.
Ergo tibi quæcunq; dies illuxerit albo
Sydere, mox grata pocula carpe manu.
Nec tua in incertum suspendas gaudia tempus,
In dubio est quicquid hora futura feret.
Ergo bene utamur præsentis tempore, ne tum
Cum uelis, utendi copia nulla fiet.
Pocula plena iuuant, cur cessat cantharus istes
Hos quoq; repletos euacuate cados.
Ipse modo Bacchus ueniet potare sodales,
Festa corymbiferi sunt celebranda dei.
Nemo huius miles certaminis esse recuset,
Nemo neget Bromio principe bella pati.
Horrida Martigenæ Germani castra sequantur,
Laus quibus est potior uana salute sua.
At uos securi contempta laude bibentes,
Sic genium plenis exhilarate cyphis.
Quos tenet ambitio, duris quærat in armis
Nobilitas illis, atq; perenne decus.

Si quos

Si quos sollicitat pellaci gloria furo,
 Hi Ioue sub gelido uulnera dura ferant.
 At quos siua iuuant & pocula plena sodales,
 Sub lare seuro Bacchica festa colant.
 Hoc melior diuis non est deus additus, ille
 Dites, formosos, ingenuosq; facit.
 Ille etiam audaces facit, & domat ille feroces,
 Excitat ignauos, excitat ille pigros.
 Quamlibet informem teneræ cōmendat amice,
 Quamlibet affecti uulnera dura leuat.
 Perdoct hic artes, infanti plurima lingue
 Suggestit è plenis uerba diserta cadis.
 Ille suo dulces immittit munere somnos,
 Ille etiam mulcet pectora læta suis.
 Perpetuus puer est, onerosæ hinc ille senectæ
 Pondera gestatu commoda cuncta facit.
 Ille ter optatæ remoratur grata iuuentæ
 Tempora, decrepitos excitat ille senes. *me suis 1/81*
 Hic iubet & planta pulsatur terra senili,
 Hic iubet & crebro sordida saltat anus.
 Ille potest longæ spatium transcribere uitæ,
 Præteritos potis est hic reuocare dies.
 Iungit amicitias, iungit Lenæus amores,
 Et suus accendit frigida corda calor.
 Ille potest diuos in magno solus olympo
 Solus & hic homines exhilarare potest.
 Deniq; nectareo demortua corpora succo
 Disseream si non uiuificare queat.

Quis

Quis nunc inuitus tanti solennia diui
Magnaq; non prona numina mente colat.
Impius est quem non tamarum munera rerum
Certa mouent, atq; ad Bacchica sacra trahunt.
Vos tamen haudquanq; socij impietatis habebit
Lenius siccis poena timenda uiris.
Dum sic impigre sorbendo pocula, uestra
Sorbitio porro, quo pede coepit, eat.
Bacchus adest tetricus nimium, nimiumq; seuerus,
Qui timet iratum fortiter ille bibat.
Nocturno certa te mero, certa te diurno,
Sic nullum uobis tempus abibit iners.
Nunc age quandoquidem claro tua carmina plausu
Laudarunt bibuli laeta theatra chori.
Et nunc euacuant calices pro uiribus, & nunc
Omnis io Bacche non nisi turba sonat.
Iusta recantetur uersis palinodia uelis,
Sensim cantones Musa retexe tuos.
Cedite lurcones, comedones, cedite uentres
Turpe genus Mystæ cedite Thyrsigeri.
Que uos uita tenet plusquam pecunia bibosi?
Que furiae quæso pectora uestra tenent?
Hoc non est gaudere sed insanire sodales,
Hoc certe est uinum perdere non bibere.
Tam turpes patinas, tam pocula fœda sequuntur
Omnes qui subita morte perire uolunt.
Vita uoluptati quibus est turpissima, quiq;
Virtutem solidam nomen inane putant.

Et fame

Et fame titulum uilem melioris habentes
Sectantur uestri turpia lustra gregis.

bibendi

Exiit hic hominem qui talem uiuere uitam
Sustinet, & sensus perdidit ille suos.

Non homo sed brutum sic inquam uiuit agreste
Et sine concessa sic ratione pecus.

Atqui certa tenet taurum mensura bibendi
Sic asinum, & liquidus quem uehit aër auem.

Sic leo, sic onager, sic ursi, uacra, cameli
Quod satis est potant, sic generosus equus.

Ergo solus homo iam bruto turpior omni
Potandi nullum nouit habere modum.

Quem deus ipse sua formauit imagine, quemq;
Egregijs animi dotibus excoluit.

Ille feras omnes, animalia cuncta pudendus
Exuperat foeda bestia spurca gula.

Ipsa quidem profunt (ut dixi) munera Bacchi
Si modicè utaris, sin minus illa nocent.

Effrontes generat Bromius, generat furiosos
Parturit obsceno uirus in ore malum.

Et grauis immodico obruitur sapientia uino,
Franguntur multo fortia corda mero.

palladia

Menades insane Bacchum comitantur inertem
Has nisi lurcones turpia monstra puta.

At non omnipotes uitis monstrator amœnæ
Propterea nobis munera tanta dedit.

Noluit eximijs temere nos rebus abuti,
Dummodo sedandæ sunt data uina siti.

Non

Non uetat ut ciathis leti exhiberemus amicos,
Sed neq; cum genio bella gerenda doct.
Tantum ne mensis neue Ebrietate grauemur,
Acriter excessus foeda piacula uetat.
Sed neq; continuo, si quando largius equo
Haueris, iratus currit ad arma deus. *pono*
Quippe potest fieri ut Bacchi dulcedine captus,
Imponant animo uina dolosa tuo.
Errasti imprudens & te nil tale putantem,
Decepit dulcis uis generosa meri.
Est leuis haec culpa, est & adhuc placabile crimen,
Quod non consequitur uindictae poena deo.
Viue hilaris, letusq; tuis crateras amicis
Plenaq; conuiuis pocula pone tuis.
Ac tua iucundo placato pectora uino,
Quae grauibus curis exanimata geris.
Tantum ne fines caue transgrediare bibendi
Omnia nam meta sunt cohibenda sua.
Ne ratio multo submersa uel obruta uino
Fluctuet in medijs naufraga facta cadis,
Qualia nunc agitant ferme conuiuia nostri
In quibus Ebrietas sola suprema tenet.
Haud licite quaerunt frugales summere coenas,
Sed neq; concessa pocula more bibunt.
Respice conuiuas ab amico forte uocatos,
Comperies certo me tibi uera loqui.
Nemo sepositis diffusus nectare curis,
Iucundis quaerit soluere corda iocis.

Sed

Sed dum hospes madidos querit dimittere amicos,
Perditur instructi gratia symposij.
Protinus infuso properant certare Lyæo,
Conduplicant haustus, ingeminantq; cyphos.
Pocula sicantur, ciathi uertuntur in orbem,
Potatur strepitu perroboante domo.
Accedunt madidæ Cereris coniuncta Lyæo
Pocula laudatæ cognita Saxonie.
Mox abaci uino stillant, et scamna lauantur,
Perfususq; bibit plurima uina solura.
Ast ubi iam indomitum uicit præcordia uinum,
Et natat in madido lubrica lingua loco.
Quam tunc spurcitiem, quæ tunc obscæna pudore
Absterfo profert ebria turba precor?
Hic nullus uerbis pudor aut reuerentia mensæ,
Hic ratio castæ est nulla pudicitie.
Hic nusquam teneræ puerorum parcitur auri,
Moribus hic uolitant noxia uerba pijs.
Promitur obscæna Milesia fabula lingua,
Historiæ molles, turpia gesta, Venus,
Iactatur madido quoq; multus in ore priapus, *notandum*
Narrantur Cypriæ prælia spurca deæ.
Turpia ridicula cantantur carmina Musæ
Et mera postremo mēsa uenena uomit.
Vipera tam præsens nec habet Salamandra uenenum,
Non dipsas, serpens, bufō, lacerta, draco.
Noxia letiferi non sic facies basilisci est,
Lurida non adeo sic aconita nocent.

Non

Non in somnifica tantas reor aspide uires,
Nec tantum immundus stello uirus habet,
Quantum habet illorum turpissima mensa uenenum,
Et quantum illorum perdita lingua nocet.
Urbanus lepido quiuis uult ore probari
Vult quisq; hic alium uincere spurcicia.
Quantumq; ante mero, tantum nunc turpiter ore
Obsceno certant uerba pudenda loqui.
Adde q; innumeri retegant arcana gulones
Si qua probe tacito corde sepulta latent.
Deposito referunt in apertum condita fucos,
Et sibi met fraudi lingua grauata mero est.
Sæpe quoq; infreni uinosus excidit ore
Improba per iugulum uox reditura suum.
Quandoquidem passim iactata parœmia uulgi,
Multa gubernaculo uina carere docet.
Quippe modum uini qui excessit, mentis et oris
Crede potens non est amplius ille sui.
Sobrius occulto quæ secum corde premebat,
Hæc stolido cunctis ebrius ore refert.
Dedecus ipse suum, sua cunctis ulcera pandit,
Quæ bene celarat dissimulata prius.
Et sua met reserat uitia ebrietate coactus,
Et sua conuiuis turpia flagitia.
Sunt qui ridicule sacra de lege frequenter
Non nisi iam poti commemorare solent.
Scrutari rerum mysteria cuncta sacrarum,
Deq; salutifera dicere multa fide.

Quid.

Quid lex, quid Christus, quid gratia præstitit, et quæ
Possit homo arbitrio lege iubente suo.
Quos deus æternæ præsciuerit undiq; uitæ
Diraq; sub Stygio quos Ioue pœna manet.
Hic uero bibulos inter discordia ciues
Exoritur, pugnam quæ parit orta grauem,
De sacris quoties iniecta est mentio rebus,
Dum negat ingenio cedere quisq; suo.
Visa semel multos hic Vuittembergæ peritos
Reddit, qui nullis cedere uocæ uolunt.
Omnia diuinæ quamuis abscondita legis,
Ceu digitos pugnant noscere posse suos.
Atq; ita prostituunt bibuli mysteria Christi,
Quæ sicut saltem sunt meditando uiris.
O compotores fœdum pecus, ut mihi sæpe
Mouerunt mollem iurgia uestra iocum.
Nam tum ridicule inter uos pugnatis Axioti,
Num bona adhuc opera sint facienda quoq;
Haud opus à uobis confectum cernitur ullum,
Laudari merita quod bonitate queat,
Quàm quod sat fidi (si dis placet) estis amicis,
Dum miseros calices uestra popina uorat.
Annuitis facile, ut uobis sorbentibus unum,
Proximus impigre pocula sena bibat.
Totus in hoc ardo uestræ est litis, caro quod non
Amplius indicta sit maceranda fame.
Hic sua non uerbis tantum argumenta bibosi
Confirmant, sed re fortius illa probant.

bibulos muros

qua r. f. p. m. r.

P

subij. f. r. p. b. Iussu

Iussi ieiunant nunq̄, nec sponte dometur,
 Ut caro, ieiuno uiuere uentre uolunt.
 Quippe grauem semper replent abdomine uentrem,
 Addicti ciathis, perpetuacq; gulæ.
 Et que præcipue capit admiratio multos,
 Non hos ulla fames, non premit ulla sitis.
 Quo tamen hosæ minus uexat sitis Abrodietos
 Fortius hoc sorbent, largius atq; bibunt.
 Credibile est illos esse inserto sine fundo,
 Quæ Danaum lassant dolia uasta manus.
 Quippe quod assidue quo plus infundis & imples,
 Hoc magis atq; magis pocula crebra petunt.
 Hos itaq; immundos uinoso de grege porcos
 Efficiunt tantum plurima uina pios.
 Interea crescunt securæ tempora uitæ,
 Iraq; contempti non bene spreta dei.
 Quippe deum bibuli nunq̄, mihi crede, requirunt,
 Nec nimis irati numina magna timent.
 Fabula sunt superi, Stygiij sunt fabula Ditis
 Infera uinoso non nisi regna choro.
 Quis uero memoret q̄ dent se turpiter omnes,
 Hic ubi iam largis inaluere cadis.
 Promptius expediam quot monstris mundus abüdet,
 Aut quot alat uarias Africa terra feras.
 Ionia undisoni quot pulsent littora fluctus
 Cum Boreas sæuis flatibus æquor agit.
 Percurram citius uitia execranda Papatus,
 Quæ bene uix magnis sunt memoranda libris.

fabula vi
 nosos infra
 regna me
 ra ita

Qui

Qui nam lege sua totum deceperit orbem,
Christi peruertens omnia uerba dei.
Qui nam imposturis uehementibus atq; dolosis
Congessit raptas totius orbis opes.
Quotq; suis Bullis animas demiserit orco,
Quas numero nunq̄ uincit arena maris.
Est qui perfusus uino lachrymatur, & est qui
Ridendi nullum nouit habere modum.
Alter opes iactat, formosæ coniugis alter
Collaudat spetiem, & pignora nata domi.
Audaces animos gerit inter pocula miles,
Ieiunus uiso protinus hoste fugit. *Cominus*
Pluribus exhausto crescit sapientia uino,
Curia tunc illis hospitis aula fuit.
Hic furit, ille boat, ~~mox alter perbibit, & quod~~ *cacat alter*
Turpiter ingessit turpius inde uomit. *pluribus, alter*
A uomitu stomachum properat replere leuatum,
Mox iterum & famulos fundere uina iubet.
Sæpe etiam, ô turpes, quicquid uomuere resorbent,
Ut canis egestos colligit ore cibos.
Aut aliquid foedi & crudi quod nauseat alter
Sæpe uorant fortes ebrietate uiri.
Ille refert Cynicos nudis saltare pudendis,
Non dubitans, quiddam turpius alter agit.
Alter adit rixas, & uerbas pugnat amaris,
Illidens madido pocula fracta solo.
Hic foede ructat, somno iacet ille profundo
Stertens oppletus sordibus & uomitu.

b 2 Hæc

Hæc illa est bibulæ turpis comœdia uitæ,
Cuius ubiq; uiris plena theatra uides.
Illa mihi superest actu claudenda supremo,
Ut constet numeris fabula tota suis.
Nullus in hac patitur uacius spectator haberi,
Histrio sed quiuis feruidus esse cupit.
Nec grauat hic proceres uilis persona Dromonis,
Nec magnos Mimos hic pudet esse duces.
Quid faceret plebes procerum sorbente coronas
Emula sunt capiti cætera membra suo.
Et cum de tali nisi parta laude teatro,
firmo nullq Querat adhuc nullo firmus abire pede.
Nemo tamen scænæ curat seruire decore, *de i. h. v.*
E bibulis populo nemo placere studet.
Turpia cordatis crebro spectacula præbent,
Et pueris risum sæpe mouere solent.
Vel cum per medias gressu titubante plateas
Incedit nimio turba grauata mero.
Vel cum nocturnis sunt edita prælia lustris,
Mane per insanum commemoranda forum.
Vel cum magniloqua se iactant uocæ bibones,
Ille quot hesternæ pocula nocte bibit.
Alter quot solus socios Baccho duce uictos,
Compulerit somnio tradere membra graui.
Ille quot insomnis tractas per pocula noctes,
Egerit, assiduis labra rigando cadis.
Alter ridenti se deierat ore dies per
Iam multos sanum non habuisse caput.

Ille

Ille quot amissa noctes ratione bibendo,
Sterterit in fœda forte relictus hara.
Non ~~luct~~ à bibulis alios audire triumphos *hinc*
Nunc, quàm de exhaustis fixa trophea cadis. *in y parte*
Porro quid hæc aliud turpis iactantia signat,
Si cupimus recta rem reputare uia,
Quàm semel amissis rationis sensibus omnes
In brutum bibulos degenerasse pecus.
Quandoquidem nemo bene sanæ mentis honorem
Ere se turpi posse parare putat.
Nec quis quàm sese (nisi flagitiosus & excors,
Qui mera se retur thura cacare) uehit.
Ob scœlera ingenti iactanter laude pudenda,
Nec placet ob uicium turpiter ipse sibi.
Fœdius an quicquàm est, aut turpius ebrietate
Quemlibet immemorem quæ facit esse sui.
Quæ facit effrontes, & corda oblita pudoris,
Cogit in absurdum currere quodq; nefas.
Quæq; sui quosuis sublato iure potentes
Deicit, imbelles inualidosq; parans.
Ut iam non titubans pes, non mens, linguaq; possit *posse*
Amplius officio fungier ipse suo. *officiu hinc ob*
Et quæ cunctarum tollit discrimina rerum, *in sum.*
Atq; hominem prorsus non sinit esse hominem.
Atqui hinc uulgatæ uenantur præmia fame,
Hinc bibuli turpes nomina clara petunt.
Hinc auide properant omnes contingere palmam
Laudis, & hanc alijs præripuisse iuuat.

b 3 Si uenit

Si uenit è nigro memorabile nomine nomen,
Et uenit è uitijs candida fama malis,
Si parit æternam fugienda infamia laudem,
Turpia si præstant lustra perenne decus.
Quis non perpetua sperabit uiuere fama,
Infames bibulos semper Iacche tuos?
At non infami subsurgit gloria fama,
Turpibus è rebus gloria nulla uenit.
Est ad uirtutem tenuis perq; ardua callis.
Quem septum passim sudor acerbus habet.
Hinc immortalem licet hinc contingere famam,
Qui tolerat casus laudis amore graues.
Hanc non assequimur nocturno, credite, uino,
Hanc neq; distento uentre parare licet.
Sed neq; desidia, neq; luxu nomen inerti
Quod queat æterna uiuere laude, uenit.
Qualia sunt tandem illius præconia laudis,
O bibule? aut famæ portio quantæ bonæ?
Si tua multibibæ temulentia fœda coronæ
Laudatur, sanis uituperata uiris.
Scilicet hinc oritur magnum & memorabile nomen,
Si iugi madeas plena lagena mero.
Aut si nemo tuo uasto cum gutture iustum
Certamen uini poter inire potest.
Hoc esset Barathrū, hoc esset superare Charybdim,
Aut Irim bibulam uincere uelle siti.
Haud alio Atridam uitio commotus Achilles,
Vituperans grauiser mente calente notat.

Spinis

147

Si

Si fuerat uirtus petulans temulentia, certe hæc
In duce tam magno laude uehenda fuit.
Exuis humanos sensus & bestia factus
Ut paucis placeas, turpia quæq; facis.
De grege uinoso partes fert ille priores,
Et caput est bibuli nec minus ille chori.
Quem norunt omnes lenones, scorta, bibones,
Caupones, mimi, balnea cuncta, coci,
Lusores, sarræ, lenæ, uetule, parasiti,
Mensipetæ, serui, sordida lustra, proci,
Adde ambubaias, tonsores, adde gnathones,
Et reliquum luxus desidiæq; gregem.
Egregiam uero laudem & spolia ampla reportas
Ista tuam laudat si mala turba gulam.
Cui tū ridicule conaris forte probari,
Perpetuo infamis diceris esse gulo.
Dumq; his obsequeris uilis tibi uita uidetur,
Quam properas subito claudere sine gula.
Inq; tuum peccas grauius turpissime corpus,
O gluto præpropera mox periture necæ.
Nam dum plura gulo, q̄ par est, uina liguris,
Ipse ferus certe sis homicida tui.
Iuppiter immodicis quoq; suffocat imbribus arua,
Imber alit siccos sed moderatus agros.
Accelerat uarios Sybaritica uita dolores,
Consequeris morbos ebrietate graues.
Amittunt habilem uino enervata uigorem
Membra, dolor misere uexat utrunq; latus.

b † Hinc

Hinc tremuli capitis uertigo odiosa resurgit,

Hinc ille assidue pallor in ore sedens.

hinc oculi Decolor hinc facies, digitiq; rigore retorti,
fluido, lipp; Hinc quoq; distenti tormina uentris.

hinc torpent Hinc torpent nerui sine sensu saepe iacentes,
Stringit Stringit & incertos inde podagra pedes.

hinc etiam Hinc etiam innumeras credendum emergere febres,
corrupti Hinc uariae scabies, hinc quoq; dirus hydrops.

hinc subita Hinc subitae mortes atq; intestata senectus,
Funeraq; Funeraq; in gelido mane reperta thoro.

Sunt hinc Sunt hinc nocturno furiales tempore somni
Est grauis Est grauis hinc nox, est irrequieta quies.

Somnia Somnia terrificis uexant hinc plurima spectris
Eumenidum Eumenidum bibulos horrida saepe uiros.

Porro mane Porro mane tetram ore exhalat olente popinam
Sordeat Sordeat ut crebro foeda cloaca minus.

Deniq; Deniq; totius corruptio corporis inde
Imminet Imminet exitio proxima multiplici.

Hac tua Hac tua si uiridis non sentit damna iuuentus,
Hoc grauiora Hoc grauiora tibi sunt toleranda seni.

Si non ante Si non ante diem te funere mergat acerbo
Ebrietas Ebrietas plenis immoderata cadis.

Omnino bibulam sequitur morbosa iuuentam
Subiecta innumeris ante senecta malis.

Semper habet comitem turpis temulentia poenam,
Sunt morbi immodicae praemia luxuriae.

Tanti quod mentem mutet constare uidemus.
Vnde solet rabies, unde uenire furor.

Vnde

Vnde tot afflictæ ueniunt dispendia uitæ,
Quæ nec Pœonia sunt medicanda manu.
Ast ubi corruptum est nimio iam corpus Iaccho,
Et dotes animi disperiere tui.
Ingenij uires recidunt, & acumen hebescit,
Obruta fit multo crassa Minerua mero.
Mox capit & bibulos cunctarum obliuio rerum
Partem animi memorem plurima uina necant.
Non secus ac Stygij Lethæa fluminis unda
Tollitur è memori pectore uita prior.
Verum quis numero certo comprehendere possit
Damna quibus bibulos afficit ebrietas?
Ut tacæam lites, rixas, ac funera, cædes
Multiplices, quas sæpe edidit ebrietas.
Non opus est in re manifesta adducere testes,
Sed tamen è multis pauca referre sat est.
Et ne quid longe peregrina exempla requiram
Dic quid tot nuper perdidit agricolas?
Ebria seditio uillas turbauit & agros
Igne, furore, manu, sanguine cæde, metu.
Inuictum Annibalem Campani pocula luxus
Vincibilem Latio plena dedere duci.
Tarquinius stupri reus ebrietate nefandi,
Perdidit imperij sæptra paterna sui.
Magnus Alexander uino furiosus amici
Infecit mensam sanguine nōme sui?
Siquid habet uatum prisorum fabula uerū
Et multo Lapithæ succubere mero.

b s Sinon

Si non Dulichios utres Polypheme bibisses,
Amisisses oculum non Polypheme tuum.
Iudit Holofernem necat ebrietate sepultum,
Id quod lectorem pagina sacra docet.
Per lustra ueterum tandem monumenta uirorum
Carmine quæ non sunt commemoranda breui.
Cernes ebrietas quorum sit causa malorum,
Qua perdis corpus, perdis et ingenium.
Regni quæq; grauem iacturam spurcæ futuri
Lurco facis Stygio præda pudenda cani.
Qua famam in terris apud omnes perdis honestam,
Qua rem, qua patrios dilapidatis agros.
Qua tibi egestatis sit causa, bibendo ubi cunctas
Congesti in uentrem luxuriosus opes.
Quæ te post nudum compellet ad improba facta
Utq; pares nummos suggeret arte mala.
Artibus exitium lucrabere turpe nefandis,
Hic tandem finis ebrietatis erit.
Semper enim uenter solitis uult rebus inanis
Distendi, festos semper habere dies.
Ocia uenter amat, plene quoq; pocula mensæ,
Delicias, luxum, sabbata, lauticias.
Iam nisi diuitiæ Lydi, aut opulentia Crassi
Adsit, non poteris ocia lenta sequi.
Diuitiæ ignauis sunt nullæ, ignauia, si quas
Sedulitas peperit, pigra profundit opes.
Et tamen assidua magis assuetudine crescit,
Per se potandi magna libido satis.

Hanc

manus, q
p. 114 v. 10
L. 114 v. 10
o. p. 114
Hic fu. 114 v. 10
m. 114

Hanc potes illesus nunquam deponere, sed nec
Hanc semel assumptam ponere posse putes.
Non bene gustatur tenero, mihi crede, palato
Esca uoluptatis perfidiosa malæ.
Quod semel haud facilis sit degustata relictu,
Pellitur à pingui non bene pelle canis.
Aegre Ithacus potuit socios auellere loto
Quam modicæ primis uix tetigere labris.
Dulcæ uoluptatis lotus blandumq; uenenum
Quod degustatum linquere nemo potest.
Interea nemo quem cura domestica, quemq;
Cum liberis uxor sollicitaret, erit. *p. 111*
Quæ dum tu potas, dum plurima pocula sorbes,
Dum genio indulges spongia plena tuo,
Nuda sedens misere deserta luget in aula
Esurit & uacuum fortiter ante focum.
Siue pudicitiam uendit, sic cogit egestas,
Et formam in questu uicta fame uxor habet.
Tu quoq; forte alio flagras tunc mœchus amore.
Semper ut est Baccho fœda libido comes.
Sic facis uxorem lecti uiolare pudici
Ieiunam sancta fœdera iuncta fide.
Aut illi pugnis durissima coena paratur,
Et petit ingratum fuste cibata thorum.
Obstrepit hic nobis contracta fronte magister
Qui æcinit laudes ebria turba tuas.
Dum quæ laudauit culparier audit, & inquit,
Hoc precium laudes promeruerunt meæ?

Ebrietas

Ebrietas nobis laudata refellitur abs te?

N 12

Nec te quæ oppono secula multa mouent?

Nec tibi tot gentes animum flexere bibosæ?

Nec te persuadent commoda tanta meri?

Hicinus ego nugas quanquam satis ante refelli

Noxia dum quam sint pocula multa probo.

Cum tamen antiquis uinosos laudet ab annis

Ceu uicijs facerent tempora prisca decus.

Hac ratione potest mœchos laudare pudendos,

Hac turpes lenas, hac ratione lupas

Hac ratione potest quosuis laudare latrones

Hoc pacto laudet quodlibet ille nefas,

Perfidiam, fraudem, raptum, periuria, cædes,

Illicitam Venerem, furta, ueneficium.

Affluit his etenim uicijs annosa uetustas

Ebria non tantum nec temulenta fuit.

Non minus est uiciū multis quod lector ab annis

Factum est, nec uicium secla priora leuant.

Copia nec populi uicium eleuat ebrietatis,

Nec Loth deceptus, nec patriarcha Noë.

Nam qui cum multis aut sanctis ebrius errat

Aggrauat errorem qui fugiendus erat.

Nil etiam excusat peccantium copia noxam

Nec purgat uicium quod popolare fuit.

Ebrietas curis mulcendis utilis, inquit,

Tollitur ex animis ebrietate dolor.

Hoc facile affirmo, dum mens est obruta uino,

Curarum sentit uulnera nulla quidem.

Ast ubi

Ast ubi iam indomiti concoxit pocula uini,
Et iam edormiuit sobria facta merum.
Mox hoc maiores & plus quam mille recursant
Curæ, quæ duro pectora dente uorant.
Nempe quod exposito gestanda sit ære crumena
Nec liceat solito semper adesse mero.
Creditor hinc urget, pueri instant, instat & uxor
Flagitat æs pistor, flagitat æs lanuus.
Ut careat curis, semper rere esse bibendum?
Hoc est te solidam dicere stulticiam.
Egregios uero iungit Lenæus amicos
Qui durant, dum sunt pocula plena mero.
Heus bone non uino, uirtute parantur amici,
Quorum non unquam sit metuenda fides.
Fluxa fides bibulis, nobis etiam esse uidetur
Vitrea lurconum semper amicitia.
Ista magistralis fuerat farrago libelli,
Cætera sunt nostra non bene digna lyra.
Nullius ebrietas, non si Cicerone patrono
Sit rea sub Baccho iudicæ, caussa boni est.
Quam uaga mens, & uita parum comitatur honesta,
Os petulans, animus, lubrica lingua, leuis,
Contemptus superum, rerum mala cura bonarum,
Perditio famæ, fœdus abusus opum.
Ad mala procliuis propensio quæq; patrandi,
Veloæs uicium deniq; in omne pedes.
Ebrietas ergo cum sit tam fœda uoluptas,
Vnde noæns oritur pestis, & unde lues.

iffuso

puer, uxor
instat & uxor

Quid

Quid iuuat hac iuuenes animi corrumpere dotes?
 Quid iuuat hac corpus perdere quæso male?
 Quid iuuat hac florem teneræ extinxisse iuuentæ?
 Quæ per se satis est ægra, caduca, breuis.
 Quin emendata tali iam tempore uita
 Consulis ô melius culta iuuenta tibi.
 Incumbens studijs, doctos euolue libellos,
 Et tibi linguarum nobile iunge decus,
 Quas tibi nunc pleno obfundit iam copia cornu,
 Venit & ad nostras Attica Musa plagas.
 Sic fiet uino ne tempora cuncta colendo
 Præstes te literis inuigilante bonis
 Ista ad frugalem tam secula docta diætã
 Quamuis corruptum te reuocare queant.
 Floret enim nunc ipsa suis iam Musa camœnis.
 Iam passim cælebres cernis in orbe uiros.
 Hos ad honestatem comites tibi summe sequendam,
 Poaula cum fœdis fœda sequare caue.
 Nullus enim patinis nec uino emerget, ut ille
 Post cineres uolitet docta per ora uirum.
 Deniq; concessos preciosi temporis annos
 Exigere haud unquam sic sine fruge uelis.
 Ebrius indulgens geniali dummodo uitæ,
 Ne incauto imponant tempora fluxa tibi.
 Tuq; domi trepidos suspensa mente parentes
 Fallas absumpto tempore & ære rudis.
 Ne uelis ignem igni, nec flammis addere flammam,
 Temperet indomitum sobria lymphæ merum.

T&A&



Tr 2/3

Pi 2540

X 270 240A
1A-70L

m.c.





RAPSO=
DIA INEBRIETATEM.

Authore Vincentio Obsopæo.

A 3150

νορ μέρ πίνειν πύλιν κακόν, ἦρ
δε τισ' ἀντορ
πίνῃ ἐπισαμένωσ' οὐ κακὸσ' ἀλλ'
ἀγαθὸσ.